



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



I. G. F.

DISSERTATIO  
DE  
URNIS FE-  
RALIBUS;

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Permissu  
*Dram.*  
in Alma Lipsiensi,

PRÆSIDE

V I R O

*Maxime Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo,*

**DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.**

Consistorii Assessore, Academiæ Decem-Viro, Colle-  
gii B. Mariæ Virginis Collegiato, Nationis Polonicæ Seniore,  
Alumnorum Electoralium Ephoro & h. t. Procancellario,  
de his aliisq; Officiis meritissimo,

Dn. Patrono & Præceptore suo

æterno obseqvio colendo,

Ad diem 22. Decembbris A. C. M DC LXXXIX.

H. L. Q. C.

Placidæ Eruditorum Ventilationi  
submitteat

JOHANNES GEORGIUS FRANCK, Illeburg. A.E.  
AUTOR.



LIPSIAE,  
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINII,





I. N. J.

# PRÆFAMEN.

**V**aria & pene innumera apud diversos populos sepeliendorum mortuorum servata fuisse discrimina, ille non negabit, qvi vel primis saltem labris, qvod Historia jucundi curiosive habet, degustavit. Pauca saltem brevitati dum studemus, in medium sumus prolaturi. Sic enim legimus, Colchos ad arbores in aëre suspendisse cadavera: Senibus hyperboreis pro sepulchro placuisse mare; flumina adamasse Aethiopes: Panebis, Genti Libyæ, licitum quidem fuisse Corpus Regium non sine pompa sepellire, verùm caput, qvod abscissum inauratumqve in templo appendebant, consecratum sanctumqve habitum est. Massagetae, morbo decumbentes miserrimos omnium existimabant, qvare & ejusmodi morte pereuntes bestiis dilaniandos objecerunt; Parentes & Propinqvos in Senium vergere si viderent, jugulabant eos jugulatosqve simul ac in frusta concisos, immisisti oviuum aliarumqve animantium carnibus in mensa, ut consumerentur, apponebant, satius rati, illos à se qvàm à vermbus consumi. Nec ignotum esse potest, qvod de Derbicibus retulerunt accuratiores Historiarum Indagatores, qvod sc. eos, qvi septuagesimum an-

A 2 num

40

num excederent, trucidatos, in conviviis comedendos dederint, Amicis ad Epulas, juxta eorundem quidem opinionem, satis lautas, convocatis. Sed quod miraberis, de Vetulis nescio quid sibi persuadebant, carnes earum indignas esu iudicantes; inde solis his unam cum iis, qui ante hoc destinatum tempus est vita migrarunt, mansit jus, vel probrum potius, ( si ex eorum sententia judicare velis ) terra tegi. Vide de his singulis plura apud Chiftot: *de linteis Christi sepulchralibus*, *Gyraldum de vario sepeliendi ritu*, *Qvenstedt de Sepultura Veterum*. Verum, praehis omnibus jam enarratis ritibus, qui, ut justa solverent suis, fuerunt observati a Gentilibus nonnullis, duo alii eminentissime: Humatio & Combustio; quorum uterque tum apud Graecos tum etiam Latinos imprimis quod fuerit in usu, sequentia docebunt. Quod quidem Graecos attinet, pro Humationis ritu apud illos recepto loquitur Cicero, *de lege 2. referens*, quod a Cecrope, primo eorundem Rege, Athenis jus terra humandi permanserit. Nec tamen iisdem, Troicis cum primis temporibus, ut infra prolixius audiemus, ritum, quem jam nominavimus, de comburendis cadaveribus humanis ignotum fuisse, ex Silio Italico atque Luciano ( quorum testimonia celeberrimus Antiquitatum Scrutator, Kirchmannus in Libro de Funeribus Romanorum allegavit,) satis constat. Et uterque hic mos simul ad tempus duravit, aliis hunc, aliis aliud pro cuiuslibet arbitrio usurpantibus; inde Socrates, nesciens, quem illorum eligere velit, in Phaedone apud Platonem ita loquitur: ἡν Κεῖτων δασὺς Φέρη, τοι μὴ δρῶν με τὸ σῶμα τὸ καιόμενον τὸ κατασυπόμενον αἴγαρνακῆν

vanitatem est ad delycta etiam quodque nos i. e. Ut Crito faciliter  
 ferat, & videns corpus meum aut comburi, aut huma  
 mandari, in eam vicem minimè indignetur quasi acerba  
 quædam passus fuerim. Clarum itidē hoc est ex diversis  
 litigantium Philosophorum sententiis, ( Heracliti scilicet  
 & Thaletis, ) qvorum ille præsupponens omnia ex  
 igne constare, afferit, debere etiam in ignem corpora  
 resolvi, hic vero è contrario omnia ex humore procrea-  
 ri sibi persuadens, obruenda esse corpora, ut possint hu-  
 more resolvi, urget. Vide *Servium*, L. 3. *Aeneid.* &  
*Kirchmannum*, à qvo citatur ille. Sed veniamus etiam  
 ad Romanos, qui sicuti in pluribus Græcorum mores  
 imitati sunt, ita & hac in parte vestigiis eorundem insti-  
 terunt qvām fidelissimè. Prolixitatem ut evitemus  
 omnem, unicum saltem pro utroque ritu in medium  
 prolaturi sumus testimonium. Ita enim *Plutarchum*  
 legimus recensentem: *Nunquam testamento caruisse, ne*  
*corpus suum post mortem uretur;* hujus vero rei cau-  
 sam certe non habuisset, nisi uterque ritus tūm cre-  
 mandi tūm sepeliendi simul obtinuisset. Sic itaqvē &  
 enarrati Ritus apud Romanos fuerunt usitati, ita ta-  
 men, ut hic de comburendo cadavere tandem solum,  
 ut sic dicam, Regimen acceperit, referente *Tacito* L.  
 XXI. *Annal. de Poppæa*; inde factum, ut & Germanis,  
 non exclusis tamen Gallis ( de quibus clarissimum te-  
 stimonium habemus apud *Julium Cæsarem* L. VI. *Belli*  
*Gallici* ) aliisq; Gentibus arriserit; de qvo ut minus dubi-  
 temus urgent Conditoria tot Urnis referta; cujus poste-  
 rioris argumenti rationem ut è longinqvo petamus,  
 non exit opus, cum vicina Lipsiæ Civitas, ( quam non

tina ex ratione Filiam ejus appellant, ) Illeburgum ( à qva non adeo procul in agro qvodam ad Muldaviam sit, detectæ sunt Urnæ ante paucos Annos) Patria mea carissima, easdem in tanta copia miserit, ut in ultraqve Bibliotheca Lipsiensi, tūm Academica, tūm Senatoria, inter Curiosa numerentur; alia loca, qvo venerunt, ut taceam. Qvod ipsum etiam mihi, cū Spe-cimen qvoddam Academicum ab iis, quibus ratio stu-diorum meorum reddenda est, postularetur, ansam de-dit, paucas, quæ seqvuntur, paginas huic im primis materiæ destinandi. Accipe illas L. C. ab inexercitato & in hoc dicendi scribendive genere vix balbutiente Juvene, manu benevola, judica fronte serena; Sum-inum vero Numen conatibus meis adsit!

## §. I.

Etymolo-gia.

**N**E vero illotis, qvod dicunt, manibus, ad rem acceda-mus, evolvendum nobis ante omnia erit Nomen Urnæ, ideoq; qvid, qvoad Ὀρματολογία ejus dicendum, bre-vibus, atq; fieri qvidem potest, exponemus. Denotat vero Urna propriè amphoram aquæ, id qvod ex ejus deriva-tione elucescat. Accipit autem Nomen à τῷ urinare, qvafsi in aqua haurienda urinet, i. e. mergatur atq; emergatur. Ipse Varro Lib. IV. de L. L. Urna dicta, qvodurinant in aqua haurienda, ut urinator. Postea vero impropriè de variis, usu ita volente, vasis usurpari cœpit.

## §. II.

Homony-mia.

Sumebatur autem varie, prout in domo, Curia & templo locum inveniebat. In Domo, pro certo Mensuræ genere, qvod dimidium faceret amphoræ, ita, ut duæ urnæ unam amphoram completerent. In Curia verò non rarò pro ejusmodi vase, in qvod Antiqui non tan-tum tabellas Jndiciarias Judicium, sed & nqmina conjiciebant, qvum Prætor Judices sortiebatur. In hoc sensu Cicero ad Qu, fratrem L. II.

I. II. c. 6. de Sixto Calio sit, quod cum à Senatoria urna copiosè ab solveris. Nec non Juvenalis, Sat. 13. in limine:

Exemplo quodcumq[ue] malo committitur, ipfi  
Displacet Autori, prima est hec usio, quod se  
Judice, nem non nocens ab solvit, impacha quamvis  
Gratia fallaciis Praetoria vicerit Urnam.

Dein, vas etiam sacrum, cuius usus in sacrificiis erat, hoc nomen sibi appropriavit; Teste Dempsterio in Antiqu. Rom. L. III. c. 32. Imò vas illud Exad. XVI. 38. (אַתְּ נָאָתָּה) in quo Manna coram Domino reponebatur, quodq[ue] alii Pateram, alii phialam, alii aliter interpretantur, LXX vinatis vertit per στήνειν, quem vocem retinet Apostolus Hebr. IX. 4. expositam communiter per Urnam. Nescio verò, annon ad sacrum hunc significatum referendus sit ille, qvo ad sepulturas urna extensa fuit. Factum id est dupliciter 1.) generalius, ut per ursam ipsum sepulchrum intelligere possis. Quo pertinet illud Lucani L. VII.

capit omnia tellus

Qua genuit: calo regitur qui non habetur urnam.

2.) specialius pro receptaculo cinerum atq[ue] ossium humanorum post cremationem, de qvo Autores passim. Est vero hic significatus hujus etiam loci; unde Urna nostra in titulo Feralis, sicut ab aliis Sepulchralis dicitur.

### §. III.

Synonymia

Pro Urna, præsertim majori, intelligitur aliquando *Offusarium*, non minus ac pro sepulchro in Inscr: JULIA FUSCINIA OSSUARIUM VIVA SIBI FECIT. Meminit hujus vocis Ulpianus de sepulchro violato Leg. II. In alia verò Inscriptione Cineraria dici legimus, unde & Cinerariorum Nomen, qui Cineres & reliquias Martyrum honorabant; de qvibus apud Hieronymum in Epist. ad Riparium, qvæ est LIII. seqventia: Aū, Vigilantium os feridum rursus aperire, & putorem sparsissimum contra Sanctorum preferre reliquias, & nos, qui eas suspicimur, appellare Cinerarios & Idololatras, qui mortuorum hominum offa veneremur. Ita etiam locutus quandoq[ue] pro Urna ponitur, v.g. apud Plin. L. VII. c. 2. ubi de Pyrrhi polloe in dextro. pede loquitur,

tur, quem cremari cum reliquo corpore non potuisse, loculo autem conditum in templo tradunt. Sic Cadum insuper dicit Virgilius: *L. VI. Aen.*

*Ossaq; lesta cado texit Chorineus abeno.*

Tandem etiam Capuli quandoque nomine venit; ita enim Apulejus *L. IV. Metamorph.* Monumentum quoddam conspicamus, procul à via, remoto & abdito loco positum, ibi capulos carie & veruſtate semitectos, qvibus inhabitabant pulverei & jam cinerosi mortui. Græcè jam generaliter ἀστυνομία, *Vas.*, jam specialius κηρωτὸς bydris vocatur; translata nimis significatione quasi aquaria, in feralem; sicut id supra Urnæ contigisse diximus.

#### Definitio.

Sunt autem Urnæ ferales Urcei non unius Materiæ, qvibus varii olim Populi cineres & ossa cadaverum humanorum in rogo combustorum, vino, lacte, odoribus, imò etiam lacrymis perspersa & irrigata ineludebant inclusaq; sic sepeliebant.

#### Causa finalis & Efficientes.

Constat hinc de omnibus Urnarum causis. De fine qvidem ex facto ipso, qvod in ultimis verbis per sepulturam exprimitur, & tantæ claritatis est, ut adjici possit nihil. Causa Efficientes varii sunt populi, de qvib; infra §. 24. ubi de ritu cremandi agetur. Hic satis sit de Majoribus nostris aliquid afferre.

#### §. VI.

Hi nimis sepulchralibus his urnis usi etiam ominino sunt. Non enim verosimile videtur, qvad Romani, hasce terras cum armis invaderent, tot urnas reliquerint (qvamvis qvidem non negemus, adesse qvasdam, imprimitis autem circa Rhenum, ubi sati diu cominorati sunt, qvas ad eos spectare, credimus. Ut enim sicco, qvod ajunt, pede pretereant; qvod Romani in his regionibus si etiam ad singulas pervenerunt, in qvibus Urnæ inventæ sunt, (qvod tamen nondum extra omne dubium) per brevem temporis spatium castra habuerint, qvad certè tam operose disponendis urnis non suffecit. Nimia qvoq; earum conflagres huic sententiae contrariatur; imprimitis autem nostrarum urnarum simplicitas,

tas, quæ luxui Romanorum minimè conveniens. Quamvis autem hic inter eos apud pauperes etiam cessaverit; quis tamen crederet, non nisi Pauperes Oras has externas vidisse? Accedit, quod alii septentrionales populi ab hoc ritu non fuerint alieni. Sic enim antiquos Daniæ Norwegiæ Reges & incolas omnes, illos quidem navicula extorta, hos autem in tumulis combustos, utrorumque cineres variis cimeliis mixtos fuisse legimus apud *Sax. Grammaticum in Historia Danie L. III.* Id quod etiam de Svecis *Ericus Olai Gorborum Svecorumq; Historia à Maserio edita L. I.* affirmat.

## §. VII.

Materia verò omnino diversissima deprehenditur; pro cuiuslibet enim conditione erat vel vilis, vel pretiosa. Virorum Illustrium Ossa atq; Cineres aurea condita fuisse urna testatur *Homerus, Iliad. v.*

*Κλαύστες δὲ ἐτέρῳ ἐνίνεος ὅστια λευκά*

*"Αλλεχογεὶς χρυσέην Φιδλην. Idem Iliad. Q. Moschus*

*Idyll. IV.*

*Καὶ κεν ἔνει χρύσεις νόσος ὁστια πρωτὸν αἰπέντων*

*Δέξαρτες κατέθαψαν οὐδὲ πεσώντων ψευόμεσθα.*

Et Plutarchius ὑδεῖας χρυσῆλατον vocat, in qua Demetrii reliquiae Materiæ ad Filium sunt relatæ; Id quod etiam *Europius L. II.X.* de monumento Trajani his verbis confirmat: *Solus omnium Imp. intra urbem sepultus est. Ossa eius collocata in urna aurea, in foro, quod edificavit sibi columna ibi posita, cuius altitudo CXL. pedes habet. Tandem & El. Spartanus de Severo, cuiusdam meminit. Verba eius hic quoque transcribere nobis licet: Corpus ejus Britannia Romam uagum cum magna Provincialium reverentia suscepit est, quamvis aliqui urnam auream tantum fuisse dicant, Severi reliquias continentem eandemq; Antoniorum sepulchro illas am,*

## §. IIX.

Ordine processuri, venimus ad Argentum, ex quod, quod Urnæ sint factæ, seqventia svident. Sic enim *Amm. Marcellinus L. XIX.* Post incensum corpus ossa, in argenteam urnam conjecta. Dein Orichalcem Argentinæ in technophilacis monstrari resert *B. Geier-*

*sus Libr. de Luctu Ebraeorum.* Post hæc æneam urnam citatam legimus apud Virgilium L. VI. Aeneid.

*Offag, lecta Cado texit Chorineus abeno.*

Marmoream refert Xiphilinus in Severo, (ubi simul paulò ante dictis, sed dubiè quidem positis, contradicit) dicens: *quod Offa in Urnam, factam ex lapide Porphyreto conjecta, Romam perlat' & in Antonia non reposita sint.* Fertur hanc urnam, anteqvam è vita decederet, jussisse ad se perferriri, eaq' ve contrectata sequentia addidisse: *Tu Virum capies, quem totus terrarum Orbis non cepit.*

### §. IX.

Prioribus addimus vitreas, cuius generis duas fibi allatas affirmit Olaus Wormius, Beermannus in Annotat. Francofurtensis; & si Eliani verbis fides est habenda, in Beli Conditorio à Xerxe deterto, positum fuit vas vitreum Cineribus repletum L. XIII. c. 3. Nec etiam prætereundum, qvod Cosc. Sabah. Ennejid. 2. l. 7. observavit de Äthiopibus, qvod sc. vitreis Urnis usi sint, an verò pro receptaculo cinerum, an lacrymarum saltem sint habendæ, circumstantiae nondum satis evincent. Aliud adhuc Exemplum, notatu non adeò indignum, in evolutione urnularum lacrymalium infra §. 17. citavimus, qvod vide. Sed ha singulæ, si vitreas excipias, tantum lautioris conditionis hominibus fuerunt in usu; inde fit, ut vel nunquam, vel rariissimè, hodiè, præsertim apud nos inveniantur.

### §. X.

Sic verò ad fistiles pedem promovemus, earumq' magnam pafsim copiam videre potes; non enim solummodo in abditis regionibus (Galliam dico, Hispaniam, Italiam, Sveciam, Norwegiam &c.) sed & maximè in nostra Germania, tam in Bibliothecis publicis, e. c. Norimbergæ, Vratislaviae &c. qvam privatis, & Cimeliarchiis fermè innumeris conspicuntur, & ad nos qvoq' non procul à nobis, Francofurto ad Viadrum, Dresden, Illeburgo allatae sunt; & earum quidem materia est lutum qvoddam, à nostro qvidem, qvoad impenritis hujus rei judicare licet, parùm diversi habens, nisi diceres hoc conformitati qvid detrahere, quod lapillis qvibusdam permistum sit albescientibus, id qvod imprimis de Francofurtensis notarunt qvi eis

et de cunctis operam dederunt. De Illeburgensisbus (non dubito de aliis) hoc compertum est, qvod lutum tam bene coctum fuerit, ut nostras usitatissimas ollas longe supereret. Hic obiter notari velim, Magnatum urnas, si & ejus materiae Ollis sua condere placuit, nigro colore, ornamentis, qvod sibi sangebanis, ergo, superbire, qvod ut confirmet *M. Treuerus*, ad testimonia *H. Mutii S. I. Chron. Seldeni de Dilio Syrus in Moloch.* p. 127. provocat. Certius autem hoc, qvod Magnatum offa vel in monte, vel ad radices ejus condere voluerint. Exemplum, qvo rei fidem faciamus, suppeditat *Aurel. l. de Orig. Genit. Rom.* qvod *Sylvius* in dimicando circumventus, ab hostibus prostratus ac sepultus fuerit circa radices montis, cui ex se nomen dedit. *Conf. insuper Olidum* l. 16. c. 37.

## §. XI.

Et haec Materia Germanis imprimis placuit; aureis enim aliisque pretiosis, prout Experiencia conjecturare jubet, nunquam usi sunt, hac sorsam ducti ratione: se tutius quiescere posse in vili, quam in pretioso vase, qvod ultimum a furibus involari & violari posset, cum de illo clam palamque surripiendo nemo facile cogitaret.

## §. XII.

Jam examinata Materia urnarum, progredimur ad eardim figuram, quam uicei cuiusdam esse dixi *supra* §. 4. Sicut autem in hac satis convenienter, ita ratione magnitudinis valde differunt; unde commode eas in tres classes dispeltere poteris, quarum prima Majorum, secunda Minorum, & ultima denique Minimarum dicatur.

Forma.

## §. XIII.

*Majores* itaque quod concernit, & haec in vicem differunt. Quodam enim vel amphoram aquae tam longitudine quam latitudinem superant, quodam ollam 6. 5. 4. cantharorum nostrorum aequaliter; & haec majores urnae habentur pro eis, in quibus Cineres Patris familiias condebantur; id quod vel ex eo patet, quoniam plerumque comites habent *Minores*, quae, quod hominum natu minorum cineres continet, conjicere licet.

## §. XIV.

Hinc tamen notandum, nos, cum nominatus homines natu minores

nores, excludere ab his Infantes, quos cremare, moris non erat, teste Plinio L. VII. c. 16. *Hominem priusquam genito dente cremare, moris non erat; sepeliebantur autem in loco, quem dixerunt Suggrundarium.* Huc respicit illud *Juvenalis, Sat. XV.*

- - - *Terra clauditur infans  
Et minor igne rogi.*

### §. XV.

Neque negligendum est, quod de Francofurstensibus Urnis notat Treuerus; repartam sc. esse urnam, in medio distinctam, de qua, quod Gemellorum Cineres habuerit, ut credamus, nos adducit seqvens Agathiae Epigramma:

"Εἰς δὲ αὐτὴν Φάσιν ἀδέλφας ἐπέχει τοῖς Φίροις ἐν γαῖς ἐπέχειν  
"Ημας καὶ γενεῆς ὁ δύο καὶ γενάτης.

### §. XVI.

Tandem etiam id hic subjiciendum, quod inter Illeburgenses aliquoties jam nominatas urnas quædam fuerit in medio scissa, ita, ut cuncte divisam non incongrue diceres; & quidem, si consuetudinem illam singularem, quam Amasii, Amici, vel etiam Conjuges, qui in vita ardentius se invicem amabant, in una condi vellent urna, intuemur, ex ea forsitan ratione factum, ut uno horum prius mortuo, alterius Cineres commodius potuerint conjungi. In quem ferme modum Ovidius de Tbisbe & Priamo:

His tamen amborum verbis estore rogati  
O multum miseri, meus illiusq; Parentes  
Ut, quos certus amor, quas hora novissima junxit  
Componi tamulo non invideatur eodem.

*Et paulò post:*

*Quodq; rogis superest, una requiesceret in urna.*

*Jason ap. Valerium Flacum:*

Quod tamen externis unum solamen in Oris  
Restat, ait, caras bumbus nec non dividet urnas  
Offas nec tumulo, nec separare conteget urnas;  
Sed simul ut juncctio venisti in aquora fatus.

### §. XVII.

Sed, ne nimiūm his inhāreamus, ad *Minimas*, qvas lacrymales vulgō nominant, transgredimur. Sunt verò vel vitreae, vel fistilis. Exemplum utriusq; generis legitimus in *B. Geieri* jam citato libello de *luctu Ebraeorum*, cuius verba liceat nobis mutuari: *Hoc subjungimus*, ait, *quod Argentine in technophilacio monstrari memini effossas è sepulchro Gentili duas Cinere repletas Urnas, quibue additæ dua lampades, una orichalcea, altera fistilis, & præter eam vitrum in figura longiorū crastoriorū digiti, hoc ipsum in se continet liquorem aqueum, superiore tamen sui parte, qua oculorum angulis applicari aptè potest, arctè vitro alio agglutinato occlsum. Hunc liquorem existimant esse cognatorum lacrymas unā cum Defuncto sepultas, quod sancti, si verum, mirandum est, quod talis humor tanto temporis intervallo non absuntus sit.* Simile Exemplum legere potes ap. *Cosrovicum in Itinere Hierosolymitano L. I. c. 10. p. 50.* ubi simul accuratam ejusmodi urnularum Picturam reperies. Meminit autem in *Zacyntho Anno 1544. Cal. Decembbris erutum fuisse sepulchrum hac Inscriptione notatum: M. TULL. CICERO HAVE ET TU TERTIA ANTONIA: intus apertas esse duas urnas vitreas, unam, eamq; ve majorem cineribus, minorem verò unda refertas; hinc creditum est, illam Ciceronis cineres, hanc Amicorum lacrymas continero. Et *Gutherius de Jure Manium II. c. 22.* memorat, quòd Patavii in monumento veteri urna coctilis detecta fuerit, cui inclusæ urnæ quatuor minores cum alia minori urnula & duabus ampullis, una ex auro, altera ex argento liquidissimi liquoris plena. Addit hic: *Liquores in dictis vasculis variare. Smecius in Antiqu. Neomag. Regeclius bic, inquit, clc XLV. Sarcophagus ex topo, astabant lagena vicrea tres. Una majore sui parte liquore non oleaginoso sed falsuginoso plena; qui liquor tunc morta terrag, injectione turbatus intra paucos dies ad limpiditudinem rediit clarissimam, quam etiam nunc servat. Cl. Loceto Judice lagena ista plena fuit humore lacrymarum.**

## §. XIX.

*Fistilia verò vasa quòd digna æstimata fuerint lacrymis capi-*

endis, constat non tantum ex Olao Wormio L. IV. rer. rarior. c. 1. qvo in loco refert: *Ex Italia sibi allatam esse urnam lacrymalem, terream, vasculum scilicet oblongum, colli angustioris, pyriforme, ventre ampliore, longitudine 5. unciarum, colore ex rubicundo albescente; sed & ex Illeburgensium urnarum Inspectione, in quarum numero talis modi urnulas lacrymales fuisse majoribus impositas, percepimus, in quarum una materia quædam coagulata, oleo non absimilis, sepe obtulit; (an verè & hunc humorem una cum prioribus pro lacrymis indubitate venditare debeamus, nondum adhuc certi sumus.)* Unicum adhuc addimus quod Phiala ejusmodi lacrymalis sit in Electorali Bibliotheca Brandenburgensi, in qua liquor ille exaruit, post se sale varii coloris, colla columbarum imitantis, relicto. Qui plura desiderat, adeat præter citatos Autores J. Jacob, Chislet, Vesont, P. I. c. 27. p. 97. D. Spon, Antiqu. Erud. p. 304. nec non Almeloveen Antiqu. Sacr. & profan. p. 134.

## S. XIX.

Adjuncta:

Primum.

Priusquam verò ad ulteriora pedem promovemus, brevibus dicendum erit de iis, quæ unà cum his urchinis tam eleganti serie arenæ impositis, tam bene circumjectis lapidibus munitis, reperta sunt. Numerantur autem inter ea lucernæ, jam ardentes, jam extinctæ. De his nullum est dubium, cum Experiendiæ testimoniis ad abundantiam usq[ue] roborentur. De illis integrum Volumen conscripsit Forunius Licetus; permirumq[ue] est, quām multos congerat ceteris Autore, qui ejusmodi lucernas fuisse repertas, scripserunt, & quorum pleriq[ue] se tales habere affervareq[ue] autumarunt; atq[ue] adeo quām variæ bujus generis lucernas recenseat; uti contenta hujus libri ḥ[er]cules tūπω describit Gassendus Phys. Seet. II, L. III, c. 1. Tom. Op. I. p. 645. postquam Autorem ejus, Eximum Amicum suum, honoris ergo prius appellasset. Libertate tamen Philosophica usus, mox ab eo dissentit, & de historica non tantum veritate, sed & Physica possibilitate non sine ratione dubitat. Tota scilicet fides, inquit, nimirum virorum quorundam rusticorum operariorumq[ue] testimonio, qui dixerint, se terram defodiientes sepulcraq[ue] eruentes repperisse lucernas, quæ adhuc arderent, sed quæ forent tamen in ipsa externi æ-

ris

rio admissione, perpans quibusdam exceptis, extincte. Notum porro, quam facile id genus homines aut imponere sibi ipsis potuerint, credentibus ipsis non posuisse frustra concludi; debuisse flammarum dum commoverentur, confingerentur, aperirentur, evanescere (ac tanto magis, si detectionis momento politura in superficie lucernarum aut continentia marmoris ex ingressu lucis externa resplenduit ineruditosq; oculos percellunt;) Aut imponere alius voluerint, quo vi-  
tu barus verum curiosis illas carius divenderent, & rumore maxime, vel unius disseminato, cui se similem reperire quicq; jactaret. Et in-  
terius ibid. Sane vero, si & Ciceronis, & prioribus posterioribusq; tem-  
poribus frequens adeo materia ejusmodi preparatio fuit, si fami-  
liares adeo, ut Lucterna perpetua, inextincta, conficerentur, fierine pot-  
est, ut tale nibil temporum illorum Scriptores commeminerint? An  
potuerit singula quaq; ad exequiarum celebritatem, ad condituras, ad  
cineres urnis conclusos, carerasq; describere; & lucernarum tamen  
inextinguibilem, rei & sumprosa, & tantopere admirabilem, ne mint-  
iam quidem facere mentionem? Credine potest, rem latuisse Plini-  
um, qui fuit tot aliarum rerum minus memorabilium curiosus Scrut-  
tator sedalusq; descriptor? Et cur ergo Mavia, cuius meminit Mo-  
destinus, servos testamento manu misit, ea conditione, ut alterius men-  
fibus lucernam accenderent? si fuit adeo promptum lucernam ba-  
bere inextinctam. His vero cum historiam facti revocet in dubi-  
um, inspergit alia nonnulla, qua possibilitatem impugnant. Quid,  
inquit, porro facit, ne aliunde res persuasione digna videantur, ipsa  
fiamma natura est, qua nibil aliud quam pabuli pinguis materia  
tempore impetu erumpens summopereq; dilatata ac summe adeo aerem  
expensis &c. Hinc videtur sane deridiculum dicere (lucernam conclusam  
ardere & facta aëris librate, extingui, qua debcret potius extincta  
reaccendi. Sed quicquid horum sit, certum tamen est, moris fuisse  
in cyppis sepulchralibus lucernas, si non perpetuas, tamen ad tem-  
pus ardentes suspendere. Sic enim Dio de larvali illo conyivio  
Domitianus refert; juxta unumquemq; collacatam esse columnam  
factam in star sepulchri, in qua nomen ejus erat scriptum, pendebatq; de  
eo lichenus parvus, ut assolet in monumentis: Et Petronius de Matrone  
Ephesina

*Ephesina*, quæ possum in hypogeo Virum condebat; *Affidebat egra fidissima ancilla*, simulq; & lacrymas commodabat lugenti, & quoties defecrit in monumento lumen renovabat. Testimonium Modestini jam ante ex *Gassendo* attulimus.

## §. XX.

Et fortè non incongruè dicerem, qvòd hic aut similis ritus ab his Idololatricis Gentilibus Christianos invaserit limites. Videmus enim, præsertim apud Pontificios, qvandoq; etiam Lutheranos, in deducendis funeribus magnam molem cerearum candelarum accendi; qvam consuetudinem suo jam tempore apud *Hieronymum Vigilantius* irrisit. Vide Epist. LIII. citatam sū. præ §. 3.

## §. XXI.

**Secundum.** Sed post lampades de Crinibus agendum est, qvi ad Defunctorum urnas pateris impositi, & singulis fermè in locis, ubi ejusmodi Conditoria habent, inveniuntur. Hic enim ritus tam sanctè ab Amicis Defuncti (qvorum sunt illi Cineres) observatus est, ut non facile prætermitteretur. Hinc *Ovidius* suam sortem dolet, qvòd nūnq; quam par esset, suo satisfacere posset Officio:

*Non mihi te liceat lacrymis profundere iussus;*

*In tua non consas ferre sepulchra Comas.*

Felicius autem Chariclaea apud *Heliodorum* Æthiopicæ Historiæ Scriptorem, extinto Ductori Calisari vulso capillos libat cum gemitu: Ἐπιφέρω τῷ χοδῷ ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλευράων. Vide de hac consuetudine plura apud *Maximum Tyrium Or. VIII.* *Dionys. Halicarnass. L. XI. Propers. L. I. Eleg. XVIII. L. III. Metamorph. Ovid. Solin. Polyb. 14. p. 472. Adrianum Jun. Com. de Comæ c. 5. Spondanum in Comment. ad Hom. Iliad. l. 23. p. 411.*

## §. XXII.

**Tertium & reliqua.** Jam ipsum ferrum, super qvod extractus erat rogus, venit re- censendum, qvippe qvod una cum Carbonibus, ligno non plans consumito, terra mirum in modum nigrescente in Illeburgensis repertum esse, cum aliis pluribus, qvorum passim inter alia mentionem facimus, nobis relatū est. Addemus qvædam orichalcis, cupri, literis

literis qvandoq; non verò discernendis, notatas particulas, quadrangulares insuper lapillos vasi curdam fictili inclusos, nec non Inaures, ut vocant, plerumq; ve binas; his accedunt disci, pateræ, punctula, qvæ forte eum in finem mortuis dederunt, ut cum Manibus recreare sese possent, arma, hasta, qvæ itidem Comites fecerunt mortuorum, ollæ arena impletæ, in qvarum fundo fila qvædam (an sericea an verò linteæ sint non apparet) in orbem convoluta, non absimilia nidis avicularum qvas linarias vocamus; laminulae qvædam rotundæ, adeò attritæ, ac molles, ut statim in pulverem resolventur, inde nec indubitato pro moneta venditari poterunt; lapis crudus, supra perterebratus (de qvo Beccmannus in Annotat. ad Francof.) hasta lapidea (teste Olao Wormio,) fila ænea, cuprea, argentea (aureum etiam inter ossa Childerici repertum esse, Chislet c. IX. affirmat) de qvibus credunt, qvod vel comatoriæ Mulierum acus, qvibus in discriminandis crinibus utebantur, vel fibulatoriæ sint, qvarum usus in subnectendis vestibus fuerit; Scoriae Metallicæ, tam grandes, ut qvandoq; moveri à Viro vix potuerint; de qvibus conjecturam legimus, an forte thesauri, qvos cum mortuis imprimis Orientales etiam contra Magistratus edictum condebant, Deo sic permittente, in hasce scorias fuerint permutati; cui verò conjecturæ vix assentiri possumus. Urna dentibus miræ magnitudinis (qvæ in Posnia eruta fuit, teste Jacobo à Mellen in tratt. de Urnis Sarmaticis,) referta, qvos ut pro Giganteis habeamus, multa obstant: Certiora dicere eos crederem, qvi affirmant: Eqvinos esse dentes maxillares. Pro iisdem enim sententiam dicere videtur id, qvod mos fuerit Veteribus præter arma Defunctorum etiam ipsos Eqvos rogo immittere; qvam Assertionem verba Taciti de Germanis egregie illustrant; sic autem dicit: *Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuig; arma, quorundam Igni & Equus injicitur.* Dentes autem tantum invitti sunt ignibus, nec cremanter cum reliquo corpore. Plin. L. VII. c. 16. Vide citatum Jacobum à Mellen fusius de his differentem l. c. & de pluribus, præter jam citatos, Smetium in Antiqu. Neomagenj, Albertum Reimaram in Antiqu. Romanis, aliosq;.

C

§. XXIII.

## §. XXIII.

Sed cur coronarum, qvibus Defunctorum Urne aliquando expornatae fuerunt, qvasi dememini? Sane Marcelli cadaver conbussum urna argentea, cui aurea corona fuisse circundata, conditum fuisse, memorat Plutarchus in vita Marcelli; qui & armam auream, in qua Demetria reliquia repasata erant, fuisse coronis circumdata est. Et cum Classis Corinthum navigaret, e prora regio ornata insuper ac Diademate conspicuam, adnotavit in Demetrio; sed hoc illustre urnarum decus tractatu de Adjunctis commodè coronam imponat. Conf. Paschal. de Coronis L. IV. c. 6. p. 220.

## §. XXIV.

His evolutis, pauca dicemus de eo, qvando hic mos comburendi, adeoq; & in urnas condendi mortuos, cœperit, & à qvibus potissimum prævenerit; ubi simili ratione allegabimus, qvare suos iug. Gentiles condere voluerint?

## §. XXV.

Qvod Aegyptii itemq; Persæ abhorruerint ab hac consuetudine ex Historiâ sufficienter patet; & illi qvidem hac ducti fuerunt ratione, qvod existimarent ignem animatam esse bellum, qvæ qvicq; vid. nanciscatur, devoret atq; consumat, ubi verò exaturata sit, sicut cum eo, qvod devora verit, moriatur. Hi verò ignem pro DEO venerati, corpora humana tanto DEO consumenda abjecere, nefas duxerunt. Vid. Qvenst. de Sepult. Ver. Hinc Lucianus: *Gracis exurit Herfa defodit.* Contra verò, uti supra docuimus, Græcis, Romanis, universis etiam Celtis per Illyrium, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Boitennicasq; Insulas hicce ritus maximè placuit; uti prolixius demonstrat Abilius. Cluver. Germ. Antiqu. L. I. c. 3. Neque Indi dictam consuetudinem planè negligebant, quamvis non solam allegarent; De quo si placet, lego Gyrald. de vario sepelio diritu, ubi simili. Indi cuiusdam, Zermangegan dicti, meminit, qvod factis fortunatus Athenis se cremaverit, cùm abundè vixisset, cuius etiam tumulo hac Inscriptio facta: Ζαγμανοχθας Ἰδος χρι Βαρ-ζας και τη πασχα "Indus ἐγ̄ εαυτὸν διεγράφατο κένταυς: Ζα- μανοχθας Indus ex Bargo, juxta Patrios Indorum mores seipsum immor-

*immortalem faciens, hic jacet. Qvod lacrymas etiam in honorem mortui effusas deaurato vase calo inclusae fiant; notat Marc. Paul. Veret. de reg. Or. l. 22. c. 55.*

### §. XXVI.

*Verum à quibus, quoq; tempore ritus iste introductus fuit, varii varie sentiunt. Quidam no[n] incongruè statuant: Diabolum hoc ipso sacrificia, quæ DEO ab Israëlitis macerabantur, illasse; alii iterum in alias partes abeunt.*

### §. XXVII.

*Qvod autem hæc Combustio Antiquitate cedat sepulturæ, nemo ferè hactenus in dubium vocavit, cum testimonio luce meridiensi aliorum id confirmaret. Ita enim *Tullius de legib. L. II.* Antiquissimum sepulturem Genus illud fuit; quo redditum est terra corporis, & ita locutum ac sicut, ut quasi experimento matris obdiceretur. Eo rite περιτολασθης noster sepultus creditur, adeoq; naturæ, quasi indita est sepultura Mortuorum. Unum adhuc, ut rei fidem faciamus firmorem, in medium proferam; est autem desumtum ex *Plin. L. VII. c. 54.* ubi dicit: *Ipsum cremare apud Romanos non fuit Veteris instituti, terra condebantur. Ac postquam longinquus bellis obratos erici cognovit, tunc institutum.**

### §. XXVIII.

*Annum verò, qvo hic mos Sepulturæ in Combustionem degeneraverit, quidam credunt fuisse p[ro]st conditum Mundum 3602. vel 3649. ante Christum natum 351. Alii Heraclito tribuunt, existimanti, animam non nisi hoc modo à Corporis sordibus purgari & ad suam naturam, (statuebant autem igneam) reverti posse. Cui *Servius III. Encid.* consentit: *Romanos comburere corpora, ut statim anima in generalitatem, i. e. suam naturam rediret.**

### §. XXIX.

*Alii verò iterum ab hac sententia abeunt, Hercoleum Autorum constituentes, à quo Lycymnii filius ita dicitur sepultus. Historiam vero sive fabulam potius, apud Kirchmannum his describitur verbis reperies: *Mos erat Troja ut quotannis aliquaque Virginum tempestivarum Ceto devoranda obiecieretur, quod alter iram**

iram Deorum, quos Laomedon Rex offenderat, placari non posse, è Cor-  
tina effe responsum. Sorte igitur ducta, Hesione ipsius Laomedontis  
filia cruento huic sacrificio destinatur. Strabas infelix Virgo jam scopulo  
alligata, mortem experens presentem, cum forte illuc transiens Her-  
cules liberaturum se filiam Laomedonti pollicetur, sed ea lege, ut  
quos ipsum habere constabat, e quos divino Seminio ortos, in premium  
sibi donet. Accipit conditionem Laomedon, sed monstro occiso filiaq;  
liberata, promissi flare recusat. Ea re indignatus Hercules, Ilium  
expugnare & acceptam injuriam ulisci cogitat; cumq;  
Exercitum colligeret, etiam Argeum, familiarem suum à Licymnio Patre petat,  
quo abniente, quod jam ante alterum filium, Eonum, bello Lacedemo-  
nico amississet, Hercules jure jurando se de reducendo Argeo obstringit.  
Profectus igitur ad Ilium, cum Argeus in acie cecidisset, comburi ipsum  
curavit, ossa ejus argi cineres ad Patrem remisit, hoc modo fidem suam  
se liberasse & perjurii crimen effugisse arbitratus. Plura qui defi-  
derat, adeat Scholiasten, ex quo hanc historiam desumit jam citatus  
Auctor.

## §. XXX.

Quicquid tamen sit, an fabulam, an historiam nomines, id  
tamen remanet, quod iis temporibus omnium maxime, quibus Excidi-  
um Trojanum adscribebant, in usu fuerit.

## §. XXXI.

Et sic ex dictis simul patet, hunc ritum multis annis ante Græcis  
sese insinuasse quam Romanis. Primum vero inter hos, qui hoc  
modo conditus fit, fuisse, volunt Syllam Dictatorem, qui, quod vi-  
ctum erutumve Marium in undas projici jussisset, verebatur ne idem  
sibi mortuo accideret. Vide Plinium *L. VII. cap. 54.* Quamvis  
iterum alii his contradicant, & longe antiquiorem cremandi cor-  
pora morem fuisse tradant. *Virgilii* quidem *L. XI. Aeneid.* ante  
urbem conditam in Latio hunc morem floruisse, *Ovidius autem L.*  
*IV. Fast.* ad initium Reipublicæ referendum, Remumque ita com-  
batum esse, dicit.

## §. XXXII.

## §. XXXII.

Secundum:

Sed quoniam Autores invicem adeò dissentiunt, certi qvicquam h̄c non facile determinabitur: Sicut etiam in vieti ex Historiis probari nequit, qvando finem h̄c Combustio habuerit. Ple-riq; tempore Antonini Imperatoris eam planè sublatam fuisse, volunt. Vid. Hieron. Magius in *Æmil. Prob. Annos. in Alcibiad. Chriſt.* *Besoldus in Consideratione Politica vita & mortis, c. 1.* Gyrald. de funere Romano. Qvenſtede de ritu ſepel. & Kirchmannus. *Macrobius*, qvi Theodosio Juniore ſceptrum tenente, vixit, suo tempore combustionem corporum humanorum exoleviſſe, afferit *L. VII. Saturn. c. 7.* qvod tamen Kirchmannus, quoniam rei testimonium apud Autores non invenerit, pro indubitate venditari posse, negat. Hoc verò certum est & omne extra dubium positum, Gentilibus cuiuscunq; nationis atq; plagæ ad religionem Christianam converſis, qvod apud nos Germanos ſatis longos post annos factum Historiæ docent, iſtum ritum paulatim aboliuit fuisse. Imprimis, cūm in eo tam anxiè laborarint Patres; ſicut ex Tertulliani ſcriptis non uno in loco videri potest. Unicum faltem, ut assertioni fidem conciliemus, testimonium adducam. Cūm enim Pagani id Christianis vitio verterent, aptū Minutum Felicem his verbis: *Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium sepulturam;* Sic responsuſ huic Criminatiōni ab Octavio: *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulitura timemus, sed & veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* His accedit, qvòd neq; in Jure Romano ejus mentio ſiat, affirmante *Finckelhaus. Diff. de Jure Sepultura theſi 27.* ſiqvidem Ulpiani & aliorum JC. ejus reatis ſeculo jam uſus urendi corpora defiit. Inde dubio procul etiam factum, ut & illi, qvi tūm remanebant, Gentiles, moris hujus pertæſi, ſepulturam eligerent.

## §. XXXIII.

Coronidis ergo attingemus illam Qvaſtionem: Quomodo <sup>Tertium:</sup> Cineres Bestiarum atq; ligni à cineribus humanis potuerint separari; Sunt verò nonnulli, qvi tunicas factas existimant ē lino

C 3

qvo-

qvodam Indico, qvod exuri minimè potuerit, iis operta cremando-  
rum corpora, ut ita illorum favilla ac Offa à reliquis Cineribus sepa-  
rarentur. Affirmationi huic ut speciem veritatis concilient, addu-  
cunt ex Plinio locum. Verba vero ita sonant: *Invenimus etiam est,*  
*(linum) quod ignibus non absumeretur.* *Vixum id vocant ardentesq;*  
*infocis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendentes*  
*magis, quam possunt aquis.* Regum inde funebres tunica corporis fa-  
villam à reliquo separant cinere. Verum, si unum his obstat dicerem  
qvòd ejusmodi linum rarius sit, adeoq; nec vili pretio comparan-  
dum, satis essent refutati; cum dein etiam certum sit, qvod Plinius  
de certis Gentibus, imprimis autem de ipsarum Rege affirmat, qvod eo  
sint usi. Nec fidem omnino meretur, qvod alii de Amianto lapide  
tradunt; hujus enim fundamentum in Historia dum non invenio,  
vix assentior. Verius esse credo, qvod Casaubonus, & cum eo Kirch-  
mannus suum faciunt: Cadaver scilicet cremandum sic in pyra suis-  
se collocatum, ut cineres atq; ossa separata manerent, neque aut ligni  
aut animalium, quæ simul cremabantur, ossibus commiscerentur;  
id qvod confirmat *Q. Smyrnaeus in Descriptione funerali Achillei L. III.*

Δὴ τότε πυρηναιήν ὅινω σθέσθαν οἵσεα δὸς  
τῷ,

Φαίνετ' αἱρεφορδέως. ἐπεὶ δὲ οὐχ ἐπέργιστον ὅμοια  
Ἡνὸς ἀλλ' οἰα γίγαντος ἀτειρέος. δὲ μὲν  
ἄλλα,

Σὺν νέινοις ἐμέμικτο. ἐπεὶ βόες ηδέ κοὺ ἵπποι  
Καὶ πῶμες Τερώων μίγδα. κταμένοισι κοὺ  
ἄλλοις

Βαῦὸν ἄπωδε νέοντο πεὶ νέκυν ὃς δὸς ἐνὶ μέσ-  
σοις,

Ριπῆς ὑφ' Ἡφαίστου δεδμημένος οἷς ἐπειτο.

Hoc

Hoc igitur modo positi in rogo cadaveris ossa, quæ supererant,  
colligebantur, quemadum Officium dicebant, & quicquid Ciner-  
rum inde decuti & detergeri potuit, in urnam conditum est.

Pluribus B. L. tædio esse nolumus, cum in citatis Autori-  
bus non pauca inveniat; Ejus vero Benevolo Judicio quæcun-  
que hoc schediasma committo, cum D E O atque die lima-  
tatoria forsan & in hac materia specialiora  
daturus.

**Deo vero pro concessis viribus  
sit laus, honor atque Gloria.**



## COROLLARIA.

- I. Ludi Scenici in bene constituta Republica possunt tolerari.
- II. Choræ Christianis non omnino sunt prohibitæ.
- III. Non

**III. Non licet malum facere, ut  
inde eveniat Bonum.**

**IV. Homo libertate præditus est  
in moralibus actionibus.**

**V. Virtutes Ethicæ & Theolo-  
gicæ differunt.**

**Ad Exim. Dn. Respond.**

**Amicum Dilectiss.**

**C**ur placet Urna Tibi, cineres qvæ condit & offa?  
Fallor; in hac Urna est Laurea nata Tibi.

*Ita gratulatur & ominatur*

*T.*

**P R A E S E S.**

